

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Hymni Sacri In Usum Scholæ Oldenburgensis. Ad Studium
Pietatis**

Goetjen, Johann Konrad

Oldenburgi, [1730?]

VD18 90652878

urn:nbn:de:gbv:45:1-19291

HYMNI SA-
CRI
IN USUM
SCHOLÆ OL-
DENBUR-
GENSIS.


AD
STUDIUM
PIETATIS

IN
ANIMIS IUVENUM
EXCITANDUM

TYPIS EXSCRIPTI
OLDENBURGI,

Johannis Conradi Götjen, Reg. Dan.
priv. Typograph.

Handwritten text on aged paper, possibly a library stamp or title, including the letters "M U R U K I".





Hymni matutini, in scho-
la sub initium lectionum
decantandi.

I.

Mel. Freu dich sehr / o meine Seele.

Congregamini scholares :
Eja congregamini !

Præparate vos alacres ,

Fervide precamini :

Fas enim novo die

Prævenire carmine ,

Omnium rerum satorem,

Omnis & boni datorem,

2. Ipsius Benignitate

A 2

Vi-

Vivimus superstitēs,
 Patriaque largitate,
 Sustinemur indies,
 Angelorum nos pia
 Protegit custodia,
 Et repellit absque pausa,
 Inferi Draconis ausa.

3. Dat Deus sincera verbi
 Prædicari dogmata:
 Dat bonas leges: protervi
 Hostis inter agmina:
 Dat Magistratus pios:
 Dat Magistros optimos,
 Prosperat nostros Parentes,
 Hospitesque nos alentes.

4. Tanta totque dona Patris,
 Tam benigni noscimus,
 Mentibus, linguisque gratis,
 Supplicesque poscimus,
 Donet hic imposterum
 Universis prosperum
 Quemque successum: recedat
 Nos quod undecunque lædat!

5. Ejus omnes in timore
 Ambulemus hoc die,
 Ac didascalos honore

Pro-

Prosequamur optime ,
 Audiamus impigre ,
 Æmulemur intime :
 Ut Patres eos amemus ,
 Imo pluris æstimemus !

6. Spiritu ferventiore ,
 Sic resuscitabimur ,
 In dataque functione ,
 Usque sic versabimur ,
 Ut Dei sanctissima
 Evehatur Gloria ,
 Noster & labor gravamen
 Proximum repellat ! Amen.

2.

Mel. Wend ab deinem Zorn/lieber.

O Deus magni fabricator orbis ,
 Qui piis gaudes precibus bono-
 rum ,

Quas tibi totis animis, & imo
 Pectore fundunt.

2. Da, precor, noctis tenebris fuga-
 tis ,

Dum novæ lucis redeunt labores ,
 Ut tibi soli placeant peractæ

Tempora vitæ.

3. Tu regas mores , animumque
 formes ,

A 3

Ut

Ut piæ mentes studio salutis
Ardeant, & te Dominum supremum
Laudibus ornent.

4. Ut bonas artes, Duce te, sequamur,

Et feros cultus Hominum malorum
Rite vitemus, studioque toto
Te veneremur.

5. Christe, qui summo Genitus Parente,

Convocas ad te docilem juventam,
Nec cupis primos perisse nobis
Turpiter annos,

6. Spiritu sancto rege corda nostra,
Et fac, ut vires habeant colendi
Te Deum verum, Dominumque mortis

Virgine natum.

7. Fervidæ ne nos rapiant juventæ
Impetus, fraudes Satanæ repellant
Angeli, nec nos Hominis mali, contagia lædant.

8. Rite sic nobis peragetur ævum
Omne, sic rectis studio fideli
Artibus culti tibi serviemus
Pectore toto,

9. Nostra sic navis dubio periclo,
 Functa, coelestis patriæ perennem
 Tanget, ac toto retinebit ævi
 Tempore portum.

3.

Mel. Meine Seel erhebet den Herrn.

Conditor o rerum, rerum Serva-
 tor ab ævo!

Extra quem non est ullus ubi-
 que Deus,

Quod redeunte fruor post actas luce
 tenebras,

Gaudeo, & agnosco, munus idesse
 tuum.

Tu genus humanum primum sine la-
 be creasti,

Ut sancte vultus viveret ante tuos.

Quam male descivit, quam turpiter
 excidit illud,

In mortem propria dum levitate
 ruit.

At bonus es solus, justamque ut
 concipis iram,

Sic illam Patria pro pietate premis.
 Ergo admiranda natum pietate, dedi-
 sti

Innocuus nostrum ferret utile sce-
 lus ,
 Qui percussa fuit pro nostra victi-
 ma culpa,
 Et vetus à nobis abluit omne nefas;
 Ingentes igitur toto tibi pectore gra-
 tes ,
 Perpetuus doni debitor hujus, ago,
 Teque precor supplex dilecti nomine
 nati ,
 Me rege , me totum Numine fle-
 ctet tuo.
 Auspice principium te spectet . &
 auspice finem.
 Quicquid agam , vitæ dirige cœ-
 pta meæ,
 Ut tua conseruent dogmata sancta,
 rege.

4.

Mel. Vom Himmel hoch/ 'da komm ich her.

Jam lucis orto sidere ,
 Deum precemur supplices,
 Ut in diurnis actibus,
 Nos seruet à nocentibus.
 Linguam refrenans temperet,
 Ne litis horror insonet,

Visum

Visum fovendo contegat,
 Ne vanitates hauriat,
 Sint pura cordis intima,
 Absistat & vecordia,
 Carnis terat superbiam,
 Potus cibique parcitas.
 Ut cum Dies abscesserit,
 Noctemque fors reduxerit,
 Mundi per abstinentiam
 Ipsi canamus gloriam.
 Deo Patri sit gloria. pl. v. p. 15.

5.

Mel. Wend ab deinen Zorn/lieber.

Ecce jam noctis tenuatur umbra,
 Lucis exortus rutilans corruscat,
 Nisibus totis rogitemus omnes
 Cunctipotentem.
 Ut Deus noster miseratus omnem
 Pellat angorem, tribuat salutem,
 Donet & nobis pietate Patris
 Regna polorum
 Præstet hoc nobis Deitas beata
 Patris ac Nati, pariterque sancti
 Spiritus: cujus reboat per omnem
 Gloria mundum.

As

6.

Mel. Christe/ber du bist Tag und Licht.

Nox transit : redit dies !
 Deum precemur supplices,
 Nos ut benigne protegat,
 Ne quid sinistri nos petat.

2. A labefac nos surgere,
 Novamque vitam ducere :
 Ad iussa vires suffice ,
 Et inchoata dirige.
3. Quas ergo mane fundimus,
 Ne respuas preces, Deus
 Nostris enim tu sæpius
 Aurem dedisti questibus.
4. Adsueta continentia
 Sit lingua, non calumnia!
 Visum vagantem comprime ,
 Ac vanitatem subtrahe.
5. In corde regnet puritas ,
 Nec efferata pravitas ,
 Et vita semper sobria
 Superba vincat pectora.
6. Cum lux in occasum ruet :
 Opaca nox & ingruet ,
 Ut prædicemus numina
 Decente temperantia.

7.

Met. Gott des Himmels und der Erden.

Jesu Christe! qui Scholarum
Rector, & inspectores,

Tibi ludum litterarum

Commendamus supplices,

Fac, ut efficacia

Nostra sint suspiria.

2. Mitte, qui à te procedit

Sacro sanctum spiritum,

Regat, ut in te qui credit

Cætulum scholasticum,

Æstuet ut arduo

Pietatis studio.

3. Regelinguas Præceptorum,

Adde verbis pondera,

Dirige Discipulorum

Mentes & ingenia,

Jaciant ut artium

Fundamentum solidum.

4. Pelle pestes juventutis,

Prava sodalitia,

Ne divinis institutis,

Vita sit contraria!

Sed ut ferant singuli,

Veros fructus fidei,

5. Da Deus sincera verbi
 Prædicari dogmata,
 Da bonas leges: protervi.
 Hostis inter agmina.
 Da Magistratus pios,
 Da Magistros optimos.
 6. Absit fames, cessent bella,
 Procul pestis abeat!
 Timeamus hæc flagella;
 Nemo vero sentiat!
 Angelorum nos pia
 Protegat custodia.
 7. Spiritu ferventiore,
 Sic resuscitabimur,
 In dataque functione
 Usque sic versabimur,
 Ut Dei sanctissima
 Evehatur Gloria.
 8. Sic florebit hoc Lyceum,
 Urbis seminarium:
 Sic laudabimus te Deum,
 Nunc & in perpetuum.
 Nunc in regno gratiæ,
 Tunc in regno Gloriæ.

8.

Mel. Singen wir aus Herzen-Grund.

HOc notate parvuli,
Blanda vox est Jesuli :

Disciplina vos alat,
Et precum fervor trahat ,

Sic ero vobis comes :

Sic mei Satellites

Vos tegent indefides.

Mane si resurgitis,

Adque scholam curritis,

Sedulo si discitis

Verba si fertis mea,

Auferetis munera,

Cordis ex sententia.

Usque vos ducent mei,

Et reducent Angeli;

Nepedes lædat lapis,

Crura nec lapsus gravis ;

Imo pro parentibus ,

Fratribus, sororibus,

Excubabunt fortius.

Patribus felicitas

Fiet & longævitas ,

Vos alant ut optime ,

Ac Deo sacrent pie ;

A 7

Cal-

Calceos cum vestibus,
 Et libros emant, quibus
 Commodent discentibus,
 Ergo grex amabilis!
 Sic fac applicabilis,
 En, ero tecum, Deus,
 Quem nec inferni specus
 Captet ob lytron meum:
 Proin sequere me Deum,
 Flecte vi pia precum!
 Liberi sic annuis
 Ibitis periculis:
 Nulla pestis, mors, fames,
 Impetet vestros lares!
 Tu modo stude pie,
 Grex amabilissime!
 Sic regam te provide,

II.

In Adventu Domini.

I.

Mel. Vom Himmel hoch da komm ich her.
Veni Redemptor gentium,
 Ostende partum virginis,
 Miretur omne seculum,
 Talis decet partus Deum.

NON

Non ex virili semine ,
 Sed mystico spiramine
 Verbum Dei factum est caro ,
 Fructusque ventris floruit.
 Alvus tumescit virginis ,
 Claustrum pudoris permanet,
 Vexilla virtutum micant :
 Versatur in templo Deus,
 Procedens de thalamo suo,
 Pudoris aula regia ,
 Geminae Gigas substantiæ ,
 Alacris ut currat viam.

Egressus ejus a patre ,
 Regressus ejus ad patrem,
 Excursus usque ad inferos
 Recursus ad sedem Dei.

Æqualis æterno patri
 Carnis tropæo accingere,
 Infirma nostri corporis,
 Virtute firmans perpeti,
 Præsepe jam fulget tuum,
 Lumenque nox spirat novum,
 Quod nulla nox interpolet,
 Fideque jugi luceat.

Deo patri sit gloria ,
 Ejusque soli filio,

Cum

Gum spiritu paraclito ,
Nunc & per omne seculum.

2.

Mel. Nun komm der Heyden Heylaud.

Veni salus gentium,
Virginis decus pium,
Seculi miraculum!
Hic partus decet Deum,
Non de viri semine,
Sacro sed spiramine
Factum est verbum caro ,
Jacens in præsepio.
Alvus tumet virginis ,
Partus absque maculis
Illibatus fulgurat,
Quem Deus inhabitat.
Prodiens è thalamo
Cum vestitu regio ,
Homo Deus jugiter
Viam calcat impiger.
Cursus ejus a patre,
Ad parrem reciproce,
Abiens ad tartara,
Rediens ad coelica.
Patri magno similis ,
Dives homo spoliis ,

Car-

Carnem mortis roborā,
 Victor atque vindica.
 Jam præsepe rutilat,
 Et sydus tuum micat,
 Nulla nox quod obruet,
 Fides semper lux manet.
 Genitori gloria,
 Proli sit victoria ;
 Sit spiritui sancto,
 Laus & absque termino.

III.

In natali Domini.

I.

Mel. Christum wir sollen loben schon.

A solis ortus cardine,
 Ad usque terræ limitem,
 Christum canamus principem,
 Natum Maria virgine.

Beatus auctor seculi
 Servile corpus induit,
 Ut carne carnem liberans,
 Ne perderet quos condidit.
 Castæ parentis viscera
 Cœlestis intrat gratia,
 Venter puellæ bajulat

Se-

Secreta quæ non noverat.
 Domus pudici pectoris,
 Templum repente fit Dei,
 Intacta, nesciens virum.
 Verbo concepit filium.
 Enixaque est puerpera,
 Quem Gabriel prædixerat,
 Quem matris alvo gestiens,
 Clausus Ioannes senferat.
 Fœno jacere pertulit,
 Præsepe non abhorruit,
 Parvoque lacte pastus est,
 Per quem nec ales esurit.
 Gaudet Chorus cœlestium,
 Et Angeli canunt Deo,
 Palamque sit pastoribus,
 Pastor Creator omnium.
 Deo Patri sit gloria pl. vide p. 15. v. 8.

2.

Mel. Singen wir aus Herzen Grund.

IN natali Domini,
 Casti gaudent Angeli,
 Læta cantant agmina;
 Jam Deo sit gloria.
 Deus homo factus est,

Deus

Deus jam placatus est,
Vobis peccatoribus.

2. Angeli Vigilibus
Nunciant Pastoribus
Magna cum lætitia,
Christi natalitia
Deus homo factus est. pl. vide v. l.

3. Inuolutum fasciis,
Et parvis linteolis,
Iussi quærunt puerum,
Creaturæ Dominum,
Deus homo factus est. v. l.

5. Lac sugit infantulus
Matris ex uberibus,
Cujus pascit largitas
Et viles aviculas.
Deus homo factus est. v. l.

8. 6. Hanc immensam gratiam,
Et miram clementiam
Mens agnoscat pavida,
Fidens & morigera.
Deus homo factus est,
Deus jam placatus est,
Vobis peccatoribus.

IV.

In Festo Circumcisionis.

I.

Mel. Vom Himmel hoch da komm ich her.

Coivit anni circulus,
Grates tibi persolvimus,
IESu quod ingruentibus
Exemeris nos cladibus.

2. Et te rogamus unicum,
Dei parentis filium,
Des, ut fidelium chorus,
Imposterum stet floridus.

3. Verbum salutis afferas,
Menti quod escas dat meras,
Decreta Romæ Præsulis,
Expunge, sis præsens tuis.

4. Malam fac omnes linquere,
Vitam piam capeßere.
Sint prisca tecta crimina,
IESu tua clementia.

5. Decenter usque vivere,
Mori queamus da benè,
Tandem beatè surgere,
Coelosque tecum scandere.

6. Sic te perenne cum piis,

IESu

IS. Iesu canemus Angelis,
Sumat Fides, fac augmina,
Tibi que surgat gloria.

2.

Pr. **S**alve cordis gaudium,
Salve Iesu!

Pectoris incendium,
Salve Iesu!

Animæ præsidium,
Salve Iesu!

Bone salve Iesu!

2. Millies te cogito,
Veni sponse!

Millies te flagito,
Veni sponse!

Millies te quærito,
Veni sponse!

Chare veni sponse!

3. Nihil te est suavius,
Suavis Amor!

Nihil te est mitius,
Mitis Amor,

Nihil te est dulcius,
Dulcis Amor!

Iesu dulcis Amor!

4.

4. Pasce me uberibus,
 Mens dulcescet,
 Lacta me uberibus,
 Cor liquescet,
 Mergere me visceribus,
 Spes virescet,
 Vita repubescet!
 5. Rigeo, accende me,
 O Amator!
 Languero solare me,
 O Creator!
 Morior defende me,
 O Salvator!
 Iesu mi Salvator!

V.

In Festo Epiphaniæ.

Mel. Vom Himmel hoch da komm ich her.

Quicumque Christum quæritis,
 Oculos in altum tollite,
 Illic licebit visere
 Signum perennis gloriæ.

2. En Persici ex orbis sinu,
 Sol unde sumit Ianuam,
 Cernunt periti interpretes
 Regale vexillum Magi.



3. Agnosce clara insignia,
Virtutis ac regni tui.
Puer o! cui trinam pater
Prædestinavit indolem.
4. Regnum, Deumque annunciant,
Thesaurus & fragans odor
Thuris Sabæi : ac myrrheus
Pulvis sepulcrum prædocet.
5. Gaudete quicquid gentium est,
Judæa, Roma, & Græcia,
Ægypte, Thrax, Persa, Scytha :
Rex unus omnes possidet.
6. Laudate vestrum principem,
Omnes beati ac perditum,
Vivi, imbecilli, ac mortui.
Jam nemo posthac mortuus.

VI.

De passione Domini.

I.

Mel. Wenn wir in höchsten Nothen sind.

Rex Christe, factor omnium,
Redemptor & credentium,
Placare votis supplicum
Te laudibus colentium.
Cujus benigna gratia,

Cru-

Crucis per alma vulnera,
 Virtute solvit ardua,
 Primi Parentis vincula.
 Qui es Creator siderum,
 Tegmen subisti carneum:
 Dignatus hanc vilissimam
 Pati doloris formulam.
 Ligatus es, ut solveres
 Mundi ruentis complices,
 Per probra tergens crimina,
 Quæ mundus auxit plurima.
 Cruci Redemptor figeris,
 Terram, sed omnem concutis
 Tradis potentem spiritum;
 Nigrescit atque seculum.
 Mox in paternæ gloriæ
 Victor refulgens culmine
 Cum spiritu munimine
 Defende nos Rex optime.
 Deo Patri sit gloria pl.v.p 15.

2.

Mel. Herr ich habe mißgehandelt.

P Ange lingua, gloriosi,
 Prælium certaminis,
 Et super crucis trophæo,
 Dic triumphum nobilem,

Qualiter

Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit.

De Parentis Protoplasti
Fraude facta condolens,
Quando pomi noxialis
Morsu, in mortem corrui,
Ipse lignum tunc notavit,
Damna ligni ut solveret.

Hoc opus nostræ salutis
Ordo depoposcerat,
Multiformis proditoris,
Ars ut artem falleret,
Et medelam ferret inde,
Hostis unde læserat.

Quando venit ergo sacri
Plenitudo temporis,
Missus est ab arce patris,
Natus orbis conditor,
Atque ventre virginali,
Caro factus prodiit,
Vagit infans inter arcta
Conditor præsepia.
Membra pannis involuta,
Virgo mater alligat,
Et pedes, manulque, cruce,
Stricta cingit fascia,

B

Lustr

Lustra sex qui jam peracta,
 Tempus implens corporis,
 Se volente natus ad hoc
 Passionis dedecus,
 Agnus in cruce levatur,
 Immolandum stipite.

Hic acetum, fel, arundo,
 Sputa, clavis, lancea,
 Mite corpus perforatur:
 Sanguis unda profluit,
 Terra, pontus, astra, mundus,
 Quo lavantur flumine.

CruX fidelis inter omnes
 Arbor una nobilis,
 Nulla sylva talem profert
 Fronde, flore germine,
 Dulce lignum, dulces clavos,
 Dulce pondus sustinens.

Flecte ramos, arbor alta,
 Tensa laxa viscera,
 Et rigor mitescat ille,
 Quem dedit nativitas,
 Et superni membra Regis
 Miti tendat stipite.

Sola digna tu fuisti,
 Ferre seculi pretium,

Atqu

Atque portum præparare,
 Nauta mundo naufrago,
 Quem sacer cruor perunxit,
 Fusus agni corpore.
 Gloria & Honor Deo
 Usque quaque altissimo,
 Una Patri, Filioque &
 Inclito paraclito,
 Cui laus est & potestas
 Per æterna secula.

3.

Mel. Erhalt uns Herr bey deinem Wort.

V Exilla Regis prodeunt,
 Fulget crucis mysterium,
 Quo carne carnis conditor,
 Suspensus est patibulo.
 Confixa clavis viscera,
 Tendens manus vestigia:
 Redemptionis gratia,
 Hic immolata est hostia.
 Quo vulneratus insuper
 Mucrone duro lanceæ:
 Ut nos lavaret crimine,
 Manavit unda fanguine.
 Impleta sunt quæ concinit
 David fideli carmine,

B 2

Di-

Dicens : in nationibus
 Regnavit à ligno Deus.
 Suspenſe ave , ſpes unica
 Hoc paſſionis tempore ,
 Auge piis juſtitiam ,
 Reisque dona veniam.

Te ſumma , Deus, Trinitas
 Collaudat omnis ſpiritus :
 Quod per crucis myſterium
 Salvas, rege per ſecula.

In Paſſione Domini.

Mel. Wo Gott zum Haus nicht giebt.

IN Paſſione Domini,
 Qua ſalus datur homini,
 Fit noſtrum refrigerium,
 Ac cordis deſiderium.

Portemus in memoria,
 Et poenas & opprobria,
 Chriſti coronam ſpineam,
 Crucem, clavos, & lanceam.

Et plagas ſacratiffimas
 Omni laude digniffimas.
 Acetum, fel, arundinem,
 Mortisque amaritudinem.

Hæc omnia nos ſatient,
 Et dulciter inebrient,

Nos repleant virtutibus,
 Et gloriosis fructibus.
 Te crucifixum colimus,
 Et toto corde poscimus,
 Ut nos sanctorum cœtibus
 Conjungas in cœlestibus.
 Laus, honor Christo vendito,
 Et sine causa prodito,
 Passo mortem pro populo,
 In aspero patibulo.

VII.

In Festo Paschatos.

I.

Mel. Wend ab deinen Born / lieber.

Vita sanctorum decus angelorum:
 Vita cunctorum pariter piorum,
 Christe, qui mortis moriens mini-
 strum,

Exsuperasti.

Tu tuo lætos famulos tropæo
 Nunc in his serva placidis diebus,
 In quibus sacrum celebratur omnem
 Pascha per orbem.

Pascha, quo victor rediens ab imo,
 Atque cum multis aliis resurgens,

B 3

Ipsè

Ipse susceptam super alta carnem
Astra levasti

Nunc in excelsis Dominus refulgens
Et supra coelos Deus elevatus ;

Inde venturus, homo iudicatus,
Denuo iudicaturus

Corda tu sursum modo nostra tolle
Quo patri dexter resides in alto,
Ne resurgentes faciat in ima

Præcipitans
Hoc Pater tecum : hoc itidem facturus,

Præstet amborum, pie Christe, flatu
Cum quibus regnas Deus! unus omnipotens
Jugiter ævum

2,

Mel. Christ der du bist der helle Tag.

TRistes erant Apostoli,
De nece sui Domini,
Quem morte crudelissima
Servi damnarant impii.

Sermone blando Angelus
Prædixit mulieribus:
In Galilæa Dominus
Videndus est quantocumque,

III

Illæ dum pergunt concitæ,
 Apostolis hoc dicere,
 Videntes illum vivere,
 Christi tenent vestigia,
 Quo agnito discipuli,
 In Galilæam propere
 Pergunt videre faciem,
 Desideratam Domini.

Quæsumus, Auctor omnium,
 In hoc Paschali gaudio,
 Ab omni mortis impetu,
 Tuum defende populum.

Gloria Tibi Domine,
 Qui surrexisti a mortuis
 Cum Patre, & sancto Spiritu
 In sempiterna secula.

VIII.

In Festo Ascensionis Christi

Mel. Komm Gott Schöpffer heiliger Geist.

A Eterne Rex, altissime
 Redemptor & fidelium,
 Quo mors soluta deperit,
 Datur triumphus gratiæ.
 Scandens tribunal dexteræ
 Patris, potestas omnium

Collata est IESU coelitus
 Quæ non erat humanitus,
 Ut trina rerum machina
 Cœlestium, terrestrium,
 Et inferorum condita,
 Flectant genu jam subdita.
 Tu Christe nostrum gaudium,
 Manens olympto præditum,
 Mundi regis qui fabricam,
 Mundana vincens gaudia.
 Hinc te precantes quæsumus,
 Ignosce culpas omnibus,
 Et corda sursum subleva
 Ad te superna gratia.
 Deo Patri sit gloria,
 Ejusque soli filio,
 Cum spiritu paracleto,
 Nunc & per omne seculum.

IX.

In Festo Pentecostes.

I.

Mel. Komm Gott Schöpffer heiliger Geist.

Veni Creator Spiritus,
 Mentis tuorum visita,
 Imple superna gratia,

Quæ

Quæ tu creasti pectora.
 Qui paracletus diceris,
 Donum Dei altissimi,
 Fons vivus, ignis caritas,
 Et spiritalis unctio.
 Tu septiformis munere,
 Dextræ Dei tu digitus,
 Tu rite promissum patris,
 Sermone ditans guttura.
 Accende lumen sensibus,
 Infunde amorem cordibus.
 Infirmam nostri corporis,
 Virtute firmans perpeti.
 Hostem repellas longius,
 Pacemque dones protinus,
 Ductore sic te prævio
 Vitemus omne noxium.
 Per te sciamus da patrem,
 Noscamus atque filium,
 Te utriusque spiritum,
 Credamus omni tempore.
 Sit Laus Patri cum filio,
 Sancto simul Paraclito,
 Nobis que mittat filius
 Charisma sancti spiritus.

2.

Wel. Vom Himmel hoch da komm ich her.

Solator alme! quæsumus:
 Nos flamma dirigat tua,
 Illuminet splendor tuus,
 Nos graciosus adjuva,
 Virtute nemo propria,
 Christum fide complectitur,
 Ni sacro sancti gratia,
 Hic spiritus conspergitur.
 Tua juves nos gratia,
 Fulcrum quod est Ecclesiæ,
 Ut in decente semita,
 Nos ambulemus undique.
 Tuum riges cœtum pium;
 Quod aridum refrigeres,
 Ne concidat, quod languidum
 Tu denuo resuscites.
 Pio tuo da cœtui,
 O septiformis munere,
 Virtute plurima frui,
 Te quoque rite noscere.

X. Pro pace.

I.

Wel. Du Frieden Fürst Herr Jesu Christ.

Dux Christe pacis optime, Pe

ber. Potens Homo-Deus,
Adjutor adstans anxie.

Periclitantibus,
Hinc coelicum

Patrem tuum,

Per nomen invocamus.

Periclitamur admodum ;

Tot in tumultibus,

Qui porrigat nec est manum

Te præter : hinc pius

Patrem roges,

In supplices

Ne sævus invehatur !

Memor mane nunc muneris,

Pacisque Principem

Teda , precamur , singulis,

id. Misertus hanc vicem.

Imposterum

Verbum tuum,

In pace prædicetur.

Iras meremur has quidem,

Ac sustinebimus ,

Te sed favore divitem

His anteponimus ;

Proin nefas

brist. Pe Nostrum tegas ,

Tui

Tui memor favoris,
 Periculum miserrimum
 Fert Pestilentia,
 Sed omnium teterrimum,
 Dant bella Martia,
 Hic spernitur,
 Non cernitur,
 Æquum quid, aut iniquum.
 Lex quæque floccipenditur
 Cum castimonia :
 Verbi tui relinquitur
 Obedientia :
 Quin nos juva :
 Procul fuga
 Tumultuationes !
 Mentem serenent omnium,
 Sol flaminis tui,
 Ne surgat ob ludibrium,
 Quicquam periculi !
 Nam solus es,
 Tu, qui potes,
 Hæc exhibere cuncta.

2.

Met. Durch Adams Fall ist ganz.

DA Jova pacem œcelitus,
 Pater benignitatis
 Et imminentis longius,



Repelle damna cladis !
 Hostis sua potentia
 Vult quique destruantur,
 Qui Filium laudant tuum,
 Fatentur, osculantur.

2. Da Christe Pacem quæsumus,
 Tutor gregis vocati !
 Concernit hoc tuum decus,
 Cultusque rem sacrati.

Hæc omnia, vi maxima
 Vult hostis impedire :
 Manu tua IESU juva,
 Hostes jubens perire !

3. Da sancte, pacem, spiritus,
 Mœrentium levamen :

Opem tuam ferocius,
 Ne dissipet gravamen :

Preces move, fidem fove,
 Firmaque pœnitentes !

Hostes preme: Nos protege,
 Ovent, ut usque mentes !

XII.

Pro optima tempestate.

Mel. HERR IESU Christ wahr Mensch und GOTT.

Solis jubar, Deus bonis,

B 7

Qui

Qui sponte das, & improbis,
Mundi quod illustrat domum:
Et rore conspergis solum.

Imbres refundis montibus,
Illos & ornas frondibus :

Terræ metalla das proba:

Pax floret atque lex bona.

Panem, merumque porrigis,
Quibus cor imples gaudiis :

Delicta nostra contegis:

Verbo tuo nos erigis.

Tuam precamur gratiam,
Verbi fove concordiam :

Sit terra nostra fertilis,

Et hornus annus dapilis !

Fave serenitatibus :

Resiste tempestatibus !

Nix, ventus, imber,

Sol tuo parent ubique verbulo.

Damnum locustæ dant satis,

Campæque poena sunt agris :

Infesta pelle noxia,

Sit salva frugum copia !

Vermes sumus miselluli,

Hæredique grex tui:

Speramus hinc tuam manum,

Quam

Quam dogma commendat sacrum.

Pro serenitate.

Solis jubar da prodeat,
Fructumque terra proferat:
Animans ut omne victitet,
Ac te datorem prædicet!

Pro pluvia.

Audi preces per Filium,
Imbremque da gratissimum!
Annum corona, propriis
Dita solum vestigiis!

Dux in Sione diceris,
Cunctis benignus nosceris:
Audis preces & adjuvas:
Laudes fac ornemus tuas!

XII.

De poenitentia.

Mel. Vater Unser im Himmelreich.

Vivo! tuus jurat Deus,
Nolo labascat impius:
Sed hæc voluntas est mea,
Ut cuncta vitet crimina,
Restinguat & mali sitim,
Mecumque vivat perpetim!
Hujus memor vocis mane,

Ac

Ac fluctues homo, cave,
 Hem ! larga consolatio,
 Dat Dia quam promissio,
 Et jurejurando quidem.
 Felix dolens qui fert fidem !

Securus at noli tuam,
 Differre poenitentiam,
 Mundana, dicens, gaudia
 Carpam prius, post tædia.
 Vitæ novam sequar viam,
 Sperans Dei clementiam.

Fautor quidem manet Deus
 Ubique poenitentibus :
 Ejus tamen qui gratia
 Innixus auget crimina,
 Animæque prospicit minus,
 Demnationis sit reus.

Promissa restat gratia
 Ob dira Christi vulnera,
 Non est receptum crastinum
 Visurus an sis Phosphorum.
 Mors te manet certissima :
 Incerta mortis horula.

Jam vivis: ah convertere !
 Mox forsân avocabere.
 Nunc qui viget, calet, valet,

Cras

Cras forte pallet ac jacet.
 Impoenitens hinc si migras,
 Fauces adis orci nigras.

Da Christe, da sub hunc diem
 Contritus ut te visitem,
 Agamque poenitentiam,
 Me mors trucidet antequam,
 Ut nunc, ut omni tempore,
 Hinc si paratus cedere.

XIII.

Pro remissione peccatorum
 & poenarum.

Mel. Allein zu dir Herr Jesu Christ.

IN unico te, Christe mi,
 Stat fixa spes salutis,
 Novi Patronum quem mihi,
 Cunctis in orbe mutis.
 Non ordium sospitantem,
 Non terra me liberantem
 Tulit periculis uspiam,
 In te meam supplex loco fiduciam.
 2. Culpæ gravant cor pondera
 Et lancinant pavore
 Vinctum quibus me libera,
 Diræ necis dolore,

Et

Et dic satis te faventi
 Fecisse pro me PARENTI.
 Sic fasce liber criminum ero, ratum
 Fac JHOVAH promissum tuum.
 3. Veram mihi dona fidem,
 Christo mero favore,
 Devotus ut dulcedinem
 Spectem tui timore,
 Præ singulis te colendo,
 Fratresque ceu me fovendo:
 In fine vitæ copiis, præsto tuis
 Dolos retunde Dæmonis.
 4. Sit laus in excelso throno
 Omnis boni parenti,
 Et Filio dulcissimo,
 Nos usque protegenti,
 Et Flatui glorioso,
 Favore qui gratioso
 Det, simus acceptissimi hic temporis,
 Post absque fine seculi.

2.

Mel. Ach Gott und Herr.

AH mi Deus!
 Quantum scelus
 Mentem meam molestat,
 Nam nil opis

Au.

Angustiis

Isthoc in orbe restat.

2. Ad ultimas

Licet plagas

Mundi patentis irem:

Quærens meis

Finem malis

Hunc nullus invenirem,

3. Te, te peto,

Mihi reo

Dimitte perpatratum,

Iram leva:

Me libera,

Propterque perque gnatum,

4. Quod si ratum,

Nefas meum,

Ut poena consequatur ;

Ah hic seca !

Illic bea !

Hic omne fac luatur,

5. Patientiam:

Faventiam,

Cor obsequensque præsta,

Ne coelicum

Perdam bonum,

Cohorte cum scelesta-

6. Me ducito
 Nutu tuo !
 Stat cuncta sustinere,
 Super polo,
 Vultu tuo
 Ne me finas carere.

7. Iesu, meum
 Solatium,
 Si cogor hinc migrare;
 Tuam manum,
 Hunc spiritum
 Fac perpetim beare !

8. Sed interim
 Me perpetim
 Flatu tuo gubernas,
 Quo prævio
 Cum gaudio
 Tempepetam superna.

3.

Mel. Wend ab deinen Zorn / lieber.

Aufer immensam, Deus, aufer iram,
 Et cruentatum cohibe flagellum,
 Nec scelus nostrum properes ad æ-
 quam

Pendere lancem,
 Si luant justam mala nostra poenam,
 Quis potest sævas tolerare plagas.

Cum nec ultricem spatioſa ferret
 Machina virgam,
 Parce, ſed noſtris miſerando culpis ,
 Jus pari clemens pietate miſcens,
 Cui manet ſemper proprium ma-
 ligno

Parcere mundo,
 Cur ſuper vermes luteos furorem,
 Sumis ? o magni fabricator orbis !
 Quid ſumus, quam ſex putris, umbra,
 pulvis ,

Glebaque terræ,
 Nos parentalis maculat reatus,
 Et caro mentem trahit imbecillam :
 Ergo tam fortem fragilem benigno
 Reſpice vultu.

Da crucem , clavos, ſcuticam, coro-
 nam,
 Lanceam, funes, rigidamque mortem,
 Inter iratam moderare dextram ,
 Et mala noſtra,

Non opus ſummi pereat Magiſtri,
 Nec ſinas caſſam fore paſſionem
 Corde, ſed manans, lavet omne
 crimen

Sanguis & unda.

Hoc



Hoc ratum quo sit, facias, precamur,
 Omnibus nobis, residens Olympo,
 Qui Deus semper dominaris orbi
 Trinus & unus.

XIV.

Pro vita Christiano digna.

Mel. Ich ruff zu dir Herr Jesu Christ.

TE Christe supplex invoco,
 Audi, precor, querentem.

Ne spe cadam, te turbido
 Nunc exhibe faventem.

Notum tibi recta via
 Da semper ambulare,
 Ac mea re

Me proximo tua
 Adjura commodare.

Quin porro quid Deus peto,
 Præstare te valentem,
 Ne nempe confundar, dato
 Spem temet intuentem,
 In fine vitæ maxime
 Vitam fideprehendam,
 Nec merendam
 Factis putem,
 Styge alias perenne flendam.

. Ve.

Veniam lubenti pectore
 Dans hostibus paratam,
 Te dante, consequar quoque
 Vitam simul novatam,
 Verbi saginet pabulum
 Me, nutriens famentem
 Usque mentem ,
 Ad ingruens malum
 Suffulciens trementem.

Nec metus agat devium ,
 Cupido nec proterva,
 Tibi sed usque deditum ,
 Manu potente ferva.

Quod tu mera das gratia,
 Quit nemo propria re
 Comparare ,
 Hæreditaria ,
 Nec lege postulare.

Armis petor, tu velitem
 Armis juva minorem.
 Fac gratiæ me mancipem
 Tuæ valentiozem.

Proinde fortis anxiæ
 Cum sævient procellæ,
 Tu repelle,

Id teque credo, ne
 Creent pericla, velle.

XV.

Hymni finitis lectionibus
cantandi.

Mel. Herzlich thut mich verlangen.

Vacate finit hora :
Surgamus ilicet !

Mentes pias, & ora
Parate quilibet, :
Ut gratias Jehovæ
Agamus optimo ,
A quo redundat omne
Bonum scholastico.

Nos ille liberales
Vi flaminis sui,
Jam nosse fecit artes,
Et jussit imbui,
Cura didascalorum,
Salubrioribus,
Virtutis atque morum ,
Præceptionibus.

Confirmet inchoatum,
Precamur his opus ;
Cui fiat omne sacrum.
Tangatur ut scepus ;
Ipsius & voluntas ;

In explicabilis

Sit omnibus voluptas

Desiderabilis.

Pseudoscholasticorum

Exorbitantium,

Examen impiorum ,

Et otiantium,

Ut quisquis execremur ,

Det ille, mordicus ;

Probis sed aggregemur,

Commilitonibus.

Exercitatiores

Sic singuli statim,

Et eruditiores

Fiamus affatim ;

Quondamque floreamus,

Macti tot artibus ,

Cunctisque gaudeamus

Æternitatibus !

2.

Mel. Der du bist Drey in Einigkeit.

O Lux beata trinitas ,

Et principalis unitas ,

Jam Sol recedit igneus,

Infunde lumen cordibus.

Te mane laudum carmine,

C

Te

Te deprecemur vespere,
Te nostra supplex gloria,
Per cuncta laudat secula.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum spiritu paracleto,
Nunc & per omne seculum.

3.

Cur mundus militat vana sub gloria,

Cujus prosperitas est transitoria,
Tam cito labitur ejus potentia,
Quam vasa figuli, quæ sunt fragilia.

2. Plus crede literis scriptis in glaciæ,
Quam mundi fragilis vanæ fallaciæ,
Fallax in præmiis, virtutis specie,
Quæ nunquam habuit tempus fiducia.

3. Magis credendum est viris fallacibus,
Quam mundi miseris prosperitatibus.

Falsis insomniis, & voluptatibus
Falsisque studiis & vanitatibus.

4. Dic ubi Salomon olim tam nobilis
Vel ubi Samson est, dux invincibilis.

Ve

Vel pulcher Absolon , vultumira-
bilis ,

Vel dulcis Jonathan multum ama-
bilis ?

5. Quo Cæsar abiit celsus imperio ?
Vel Dives splendidus totus in pran-
dio ?

Dic ubi Tullius , clarus eloquio ?

Vel Aristoteles , summus ingenio ?

6. Tot clari proceres ? Tot rerum spa-
tia ,

Tot ora præsulum , tot regna fortia ?

Tot mundi principes , tanta poten-
tia ?

In ictu oculi clauduntur omnia.

7. Quam breve festum est hæc mundi
gloria !

Ut umbra hominis sic ejus gaudia.
Quæ semper subtrahunt æterna
præmia,

Et ducunt hominem ad dura devia.

8. O esca vermium ! o massa pulveris !

O flos ! o vanitas ! cur sic extolleris ?

Ignoras penitus utrum cras vixeris,

Fac bonum omnibus quam diu po-
teris.

Hæc

9. Hæc mundi gloria, quæ magni perditur,

Sacris in literis flos foeni dicitur.

Ut leve folium, quod vento rapitur

Sic vita hominum hac vita tollitur

10. Nil tuum dixeris, quod potes perdere,

Quod mundus tribuit, intendit rapere.

Superna cogita, cor sit in æthere,

Felix qui potuit mundum contemnere.

4.

Mel. Erhalt uns Herr bey deinem Wort.

Plasmator hominis Deus,
 Qui cuncta solus ordinans,
 Humum jubes producere
 Reptantis & feræ genus.

Qui magna rerum corpora
 Dicto jubentis vivida,
 Ut serviant per ordinem;
 Subdens dedisti hominibus,
 Repellito à servis tuis,
 Quicquid per immunditiam,
 Aut moribus se suggerit,
 Aut actibus se interficit.

D

Da gaudiorum præmia ,
 Da gratiarum munera,
 Dissolve litis vincula,
 Adstringe pacis foedera.
 Præsta pater piissime ,
 Patrique compar unice,
 Cum spiritu Paraclete,
 Nunc & per omne seculum.

5.

Mel. Meine Seel erhebt den HErrn.

Care Pater ! rutili residens super
 ardua coeli

Culmina, sit sanctum nomen ubique
 tuum.

Adveniant nobis vastum tua regna
 per orbem.

Fiat, ut in cœlo sic quoque Velle
 solo.

Da nobis hodie , quod postulatus
 & esus,

Et bonitate tua corpora nostra ciba.
 Ah! gratis nobis jam debita nostra re-
 mitte ,

Ut nos largimur debita quæque
 reis.

Etne nos induc gravia in tentamina,
 sed nos Omni-

Omnibus ereptos denique solve
malis.

Namque tuum est regnum , tibi cum
cta potentia soli ,
Solaque debetur gloria semper
Amen.



Precationes matutinæ.

I.

Agimus tibi gratias, Domine no-
 fter IESu Chrifte! quod præteri-
 tam hanc noctem nobis volueris esse
 prosperam; precamurque, ut diem iti-
 dem hunc totum nobis bene fortu-
 nes, ad tuam gloriam, & animarum
 nostrarum salutem, utque tu, qui es
 vera lux, occasum nesciens, sol æ-
 ternus, omnia vivificans, alens, exhi-
 larans, digneris illucescere menti-
 bus nostris, ne usquam impingamus
 in ullum peccatum, sed tuo ductu per-
 veniamus ad optatam studiorum no-
 strorum metam, & vitam æternam.
 Qui vivis, & regnas cum Deo Patre,
 & spiritu sancto, verus ac æternus
 Deus, benedictus in secula. Amen.

2.

O Pater in coelis, qui numine cun-
 cta gubernas,
 Suscipe devotas aure favente pre-
 ces.
 Ut tua jactetur, fac, splendida fama
 per orbem, Et

Et tuus assiduo tempore crescat
honus.

Quotidie assumat firmas Ecclesia vi-
res,

Adveniat regni Gloria summa tui,
Perpetuo in terris fiat tua rite volun-
tas,

Ut supera fieri semper in arce solet.
Corporis & vitæ nobis alimenta mi-
nistres,

Et pascas verbo pectora nostra tuo.
Ut, qui aliis læsi, delicta remittimus ul-
tro:

Sic quoque dimittas debita nostra
lubens.

Insidias mundi reprimas, Satanæque
furentis,

Nemala tentatos nos superare
queant.

Et quia nos vexant immensa pericula
vitæ,

Liberet à cunctis nos tua dextra
malis.

Namque tuum stabile est regnum, &
tua summa potestas,

Et tua perpetuo gloria sine caret.

Vere

Berleib uns Frieden gnädiglich,
 Herr Gott zu unsern Zeiten,
 Es ist doch ja kein anderer nicht,
 Der für uns könnte streiten,
 Denn du unser Gott alleine.
 Gib unserm Könige, und aller Obrigkeit,
 Fried' und gut Regiment,
 Daß wir unter ihnen,
 Ein geruhiges und stilles Leben führen
 mögen,
 In aller Gottseligkeit und
 Ehrbarkeit.
 Amen!

Prius legitur pars Catechismi,
 post caput Biblicum.



Index.

A.

Æterne Rex Altissime	31
Ah mi Deus	42
A solis ortus cardine	17
Aufer immensam Deus	44

C.

Care Pater rutili	53
Coivit anni circulus	20
Conditor o rerum rerum	7
Congregamini scholares	3
Cur mundus militat	50

D.

Da Jova pacem cœlitus	36
Dux Christe Patris optime	34

E.

Ecce jam noctis tenuatur umbra	9
--------------------------------	---


H.

Hoc notate parvuli	13
--------------------	----

I.

Iam lucis orto sidere	8
IESu Christe qui scholarum	11
In natali Domini	18
In passione Domini	28
In unico te Christe mi	41

N.



N.

Nox transit redit dies 10

O.

O Deus magni fabricator orbis 5

O Lux beata Trinitas 49

P.

Pange lingua gloriosi 24

Plasmator hominis Deus 52

Q.

Quicumque Christum quæritis 22

R.

Rex Christe factor omnium 23

S.

Salve cordis gaudium 21

Solator alme quæsumus 34

Solis jubar Deus bonis 37

T.

Te Christe supplex invoco 46

Tristes erant Apostoli 30

V.

Vacate finit hora 48

Veni Creator spiritus 32

Veni Redemptor gentium 14

Veni Salus gentium 16

Vexilla Regis prodeunt 27

Vta

31
12
17
4
33
0
7
3
0
6
4
9
3
8
1
8
8
1





Vita sanctorum decus
Vivo tuus jurat Deus

29

39

F I N I S.



11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40



29

39

